DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

Mr. Lee
with best compts to
from his friend
& Humble Servt
The Author

Bankhead (6)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS BANKHEAD,

HIBERNUS,

Societ. Amer. Phyſ. Soc. Extraord.

Nec non,

Praeſes Annuus.

Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine et voluptate animi et iracundia, ut tranquillitas et ſecuritas adſit, quae affert cum conſtantiam tum dignitatem. Cic. de Offic. Lib. Prim.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XC.

Patri ſuo cariſſimo,

Reverendo admodum viro,

JOANNI BANKHEAD, A. M.

Apud Greenfield,

In Comitatu Antrimenſi,

Paterna ob beneficia,

Quibus,

Ab vitae initio uſque ad hoc tempus,

Nunquam non fructus eſt,

Hanc Diſſertationem,

Parvum ut teſtimonium amoris et obſervantiae,

Sacram eſſe voluit

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYSTERIA.

PROOEMIUM.

DE Hysteria, idque tribus potissimum de causis, quantum nostra valebit infirmitas, differere visum est.

D. Sydenham, candidus ille ac sagax naturae contemplator, computat, vel dimidium longorum morborum, qui quidem

ipſi tertia ſunt pars univerſorum homines infeſtantium, ex hujuſmodi affectibus conſtare.

Deinde, malum hoc pro luxuria gliſcente indies, ut credere par eſt, gliſcit et ipſum.

Denique, foeminae, heus miſerabile fatum! quales humanitate, nec non venuſtate et pulchritudine corporis praecellant, maxime omnium periclitantur.

DEFINITIO,

Quae omnium praecipue arridet, haec eſt. ‘ Ventris murmura; ſenſus globi in abdomine ſe volventis, ad ventriculum et fauces aſcendentis, ibique ſtrangulantis; ‘ ſopor,

‘ ſopor, convulſiones ; urinae limpidae co-
‘ pia profuſa ; animus, nec ſponte, varius
‘ et mutabilis.’ *

HISTORIA.

Signa quidem et plurima, et varia ſunt ; ideoque ea, ordinis cauſa, quae ante acceſſionem exhibeantur, quaeque inter hanc, ſeorſum memorare convenit.

Ægra aliquando anxio eſt animo, amanſque ſolitudinis ; ſuſpicioſa ſaepe ; verbaque, motiones, atque geſtus vel amiciſſimorum in contumeliam accipit ; mala priſtina, in primis talia forſitan, quae ſuae ipſius familiae

* Cull. Noſol. method. G. LXIII.

miliae acciderint, lubentius in memoriam revocat; unde ſibi nempe aliiſque perſuaderi velit, ſe profecto miſeram, ſe fati fuiſſe iniqui.

Cordis deinde palpitatio, tremor, graviteſque membrorum aliquot excipiunt.

Corpus ſaepe extra friget, dum arteriarum pulſus naturaliter ordinatus eſt.

Oſcitatio ſaepenumero occupat, nec non vertigo, corpore ſcilicet citius ſublato, extremiſve ſubito protentis.

Dolor aliquando totum caput, aliquando hujus dimidium tantummodo, ſaepiſſime vero aliquam certam partem acerrimus excruciat, cui nomen apud medicos, a quadam

dam clavi in cerebrum adacti ſimilitudine, eſt Clavus Hyſtericus.

Oculi hebetes ſunt graveſque; nec non frequenter modice, ſed moleſte tamen, illacrimant.

Saliva ſaepe eſt abundantior; ſaepiſſime nocturni ſudores cum alvo adſtrictiore exercent.

Circa renes irritatio quaedam ſentitur; eamque ſaepe cupiditas mingendi comitatur, atque urinae limpidae copia largior ſubſequitur.

Difficiles plerumque ſomni, atque iidem per ſomnia tumultuoſi ſunt.

Caeterum,

Caeterum, ut ſigna raro univerſa ſimul obverſantur, ita acceſſiones et tempore et gradu varientur neceſſe eſt.

Nunc vero, acceſſione inſtante vel incipiente, tenſio plerumque circa laevam abdominis partem ſentitur.

Pulſus arteriarum ſit crebrior pauloque imbecillior; neutiquam tamen ita imbecillus, prout in morbis debilitate ortis. Idem inſuper celeritate variat. D. Gregory enim in hujuſmodi caſu intra ſexageſimam horae partem ictus ad centum octoginta, et D. Whytt ad ducentos viginti uſque numerarunt; ultraque hanc ſummam res fortaſſe annotari nequit.

Dolor

Dolor lumborum, haud acutus quidem, ſed gravis tamen ; nec non rigoris multum horroriſque adſunt.

Venter indureſcit inflaturque, atque umbilicus adeo retrahitur, ut concavi aliquantum manifeſtius cernatur. Simul et ſenſus fit globi ab imo hac illa totum per abdomen ad guttur uſque aſcendentis, ſummumque hujus tandem occupantis, unde ſuffocatio ipſa inſtare videtur.

Hujuſmodi autem aſcenſione ad ventriculum facta, nauſea fere, atque vomitus interdum, ſed rarius, exſiſtunt. Hic quidem, quandocunque incidit, fit ſine magna moleſtia, atque etiam, D. Sydenham auctore, longinquum morbum denuntiat.

Globus

Globus profecto in gutture alias aliter durat. Hoc vero ſubſtante, ſpiritus eſt difficilis, ſermo hominis non explicatur, atque vox quoque redditur talis, ut ex ea aliquis haud imperitus naturam primarii morbi ſatis intelligere queat.

Inter haec jam ſtupor ac ſenſuum hebetudo ſuperveniunt.

Membra quoque, raro compluria ſimul, leviter frequentius, aliud ex alio, diſtentione pervertuntur. Aliquando tamen haec ipſa ita vehemens fit ac multiplex, ut aegrotans ſternitur toto corpore terrae, atque nonnunquam ſpumae ex ore moventur.

Inter acceſſionem porro, aliae ſine ſenſu motuve, oppreſſae quaſi ſtupore, jacent; aliae,

liae, nec vi, nec blanditiis cohibendae, furioſe exclamant lugubriterve ejulant.

Facies interdum collumque rubent; ſub quo caſu arteriae inſuper, capitis praeſertim, quam maxime micant.

Nonnullae ploratus riſuſque alternis, ſine ratione diutius edunt, ac poſtea aliena loquuntur.

Abdominis muſculi adhuc manent admodum retracti, atque inteſtina tali ſpaſmo corripiuntur, ut, quodcunque ibi inſit, illud ſpiritus tranſmitti nequeat.

Sphincter quoque ani adeo comprimitur, ut ne minimus quidem ſiphunculus intus immitti poſſit.

Denique, miſera ſaepe ſingultu vexatur, dentibus ſtridet, ac, veluti omnia deſperans, brachium, dextrum nempe frequentius, attollit refert, atque ita manu pectus ſibi crebro pertundit.

Verum enim vero vehementiora iſta ſerius ocius paulatim ſeſe remittunt, aegraque tandem torpida ſomno evadit.

Arteriarum quidem pulſus, antehac crebrior atque imbecillior, vegetus nunc eſt tardiorque.

Corporis extrema caleſcunt.

Faciei redit ſuus proprius priſtinuſque color.

Abdominis

Abdominis muſculi anique ſphincter ita remittuntur, ut ſpiritus tum hoc, tum ore, libere tranſmittitur.

Senſus motuſque aegris, alii alias, repitito cum ſuſpirio, tanquam ſomno excuſſis, nec non cum ventris ſonitu, rurſum redeunt, ſaepiuſque omnia per acceſſionem facta ignorantur.

Denique, laevum latus dolore urgetur, qui quidem ſaepe totum per corpus vagatur, ſaepe cuidem trunci parti extremiſve inſidet.

Poſtremo, per acceſſionis diei reliquum, laſſitudo haud parva, hebetes viſus, nec non capitis dolor ac vertigo, nunquam non infeſtant.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Hominibus, tam in medicina, quam aliis in rebus, verſantibus, jamdudum ſolenne fuit, omnia nempe, quorum origo latebat, quandam ad cauſam aeque incognitam referre. Melius certe erat aperte atque ingenue confiteri neſcire, quam ita quaſi ſortiri, quid dicatur. Ejuſmodi profecto exemplum eſt Genus nervoſum quod audit. Multi enimvero ſingulos omnes morbos, de natura quorum et cauſis aliter ſilendum erit, ex hoc ipſo, quanquam adhuc vel conſultiſſimis neutiquam explorato, fonte quaſi exundante ac certo, verbis, ſi Diis placet, ſine ullo judicii negotio, cum ſecuritate multa et profunda, derivare auſi ſunt.

Hinc

Hinc nimirum, decipit quippe exemplar imitabile vitiis, cenſere difficilius eſt, qui morbi demum ſuo quodam proprio jure talem in numerum adſcribi mereantur.

Jam vero praefari convenit, partem quamlibet, Hyſteria affectam, talia ſigna, quae proprie vereque eam ipſam partem primitus vitiatam eſſe teſtentur, nunquam non exhibere.

Hypochondriaſis ſane, epilepſia, et ſyncope inprimis omnium aliquam habent ſpeciem ſimilitudinis cum Hyſteria.

Hyſteria autem et hypochondriaſis ipſis temperamentis, quibus ſingula mala ſunt propria, ſatis bene dijudicantur; illa enim

nim ſanguineum ; haec melancholicum afflictat.

Sexum quidem dare diſcrimen omnino certum, dicere non auſim; ſed eum dare id, quod certo proximum eſt, nullus dubito. Caeterum illud cauſae, cur ita crediderim, nunc proponere lubet. Noſtro etiam ſeculo, in quo ignavia et luxuria dominantur, inque quo Hyſteria igitur multo latius, quam olim, in foeminas graſſatur, D. Cullen, * medicus ille; ſi quis unquam alius, ſagax, ſedulus, in multiplice variaque curatione verſatus, per annos amplius quadraginta, ne unum quidem virum ea plane laborantem deprehendit ; imo vero permulti

* Qui quinque prope abhinc menſibus fuit.—
" Noteſcetque magis mortuus, atque magis."

permulti non mediocres viri idem, ex ſua quiſque experientia, teſtantur. Adeo fides caſuum contrariorum, qui bene multi in monumentis medicorum veterum legantur, penes auctores erit.

Denique, ſenſus globi aſcendentis atque inſtantis ſuffocationis, quod quidem per ſe D. Gregory, judici ſatis idoneo, indicium eſt Hyſteriae plane perſpicuum, abdominis muſculi vehementer retracti, concavus umbilicus, Clavus Hyſtericus, difficultas ſpirandi, propria huic morbo eſſe videntur, ſemperque fere ſingula omnia inter acceſſionem fiunt.

Deinde, Hyſteria a morbo comitiali, Celſo auctore, eo diſtat, quod in hoc oculi

vertuntur,

vertuntur, in illa non item, ſed modo clauſos naturaliter ſe habent.

In Hyſteria quoque pauciores plurumque partes, eaeque minus diſtenduntur.

Porro, acceſſione hyſteriae finita, ſenſus fere motuſque illico redeunt; in epilepſiae deceſſione non item; omnia inſuper inter hujus acceſſionem ſemper ignorantur.

Huc denique ſumma ex auctoritate afferri convenit, quod ambo iſta mala aliquando, ſed raro tamen, eidem ſimul acciditſe videntur. Tum vero in altero globus ſupra memoratus, in altero aura ſemper fere ab extrema aliqua parte, ſentiebantur.

Denique,

Denique, Hyſteria nonnullis, ſyncope quadamtenus ſimulata, impoſuit. Quod quidem oppido mirum eſt, quia haec plurimum inter ſeſe differunt.

In ſyncope, Idiopathica quae audit, motus cordis ac reſpiratio aliquamdiu omnino quieſcunt ; contra in Hyſterica non itidem. In hac enim ſpiritus, utcunque rarus, facile tamen ope ſpeculi lucernaeve juxta os admotae notari poterit. Porro huic fere adeſt levis arida tuſſis, qualis tuſſis illi abeſt.

Poteſt quoque fieri, ut alii quidam morbi, puta calculus in renibus aut apoplexia, inconſultius Hyſteriae nomine vocentur.

Priorem vero nec ſenſus unquam ſuffocationis, nec difficultas ſpirandi, nec delirii quidquam comitantur ; poſteriorem deinde

tempus ipſum, quo acciderit, rite animadverſum, nec non rhonchi inter ſpiritum, qui ſemper fere adſunt, ſatis diſtincte demonſtrant.

Ad ſummam, temperamemtum, quod inprimis patet; ſexus muliebris nempe, qui unicus, ut vero proximum eſt, periclitatur; tempus, per quod invadere poteſt, quod eſt a pubertate uſque ad ultima menſtrua; denique propria corporis ipſius aegrotantis, haec omnia omnino faciunt, ut Hyſteria certo perquam dignoſci queat.

CAUSAE REMOTAE.

Nunc vero hujuſmodi ſunt omnia, quae proclivitatem ſeu conficiant, ſeu laceſſant.

Priora

Priora quidem uno nomine, quod eſt, labe corporis primigenia, unde nimia fiat irritabilitas, comprehendere placet. Dicet aliquis, Quid ergo? tu momentum Generis Nervoſi omittis? ita equidem; nam, quod meum eſt ingenium, ſpecioſa vocabula quanquam ſaepius et audivi, et legi, et mecum volutavi, nondum attamen rem intelligo, ideoque argumenti quid indidem ducere religio eſt.

Quoniam vero irritabilitas adaucta, qualicunque demum proprio modo effecta, laborantibus Hyſteria manifeſto ineſt, nec non complures malae notae eadem, magna ex parte, oriuntur; illam idcirco, ceu Remotam Cauſam, ſtatuimus, idque libentius, ſiquidem hac ratione curatio, experientia ipſa comprobata, planius ac melius docetur.

Deinde,

Deinde, D. Gregory auctore, decem mille foeminas uno pro viro hac aegritudine conflictari, proponere ausim.

Denique, in confesso est, plerumque morbos quoque per successiones quasdam, ut alia, tradi; neque enim dubitari potest, quin neptis ex avia hysteriam instar haereditatis saepe nacta fuerit.

Caeterum irritabilitas hujusmodi rebus quotidianis ac nugatoriis permovetur; animus semper mutabilis facile turbatur; quamplurima imaginationibus, iisque saepe extra veri cancellos egressis, agitat; praesentia fastidio damnat, anxiusque futuri ante miserias est miser.

Posteriora

Posteriora autem, seu excitantia vocantur omnia, sive corporis jam proclivioris, subito perturbent. Ejusmodi sunt laetitia et spes, quae stimulant, eorumque contraria, tristitia et timor, quae inhibent. Ad haec quoque ira, odium, ingens calor frigusve derepente occupans, exinanitiones, verbi causa, post partum, nimiae, onustus depletusve Stomachus, alvus adstrictior, adjungi possunt.

Caeterum alia eodem valent, idque ratione quadam latente atque inenarrabili; qualia sunt, aversationes aliquae vel fastidia; odora nonnulla, ut succinum, moschus; medicamenta quaedam adhibita, ut opium, tabacum; atque interdum Thea, Cofea, aliave id genus epota.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

‘ Cauſae aeſtimatio, ait Celſus, ſaepe ‘ morbum ſolvit’. Hinc medici jure rem iſtam exploratam habere laborant. Verum enimvero Proxima Hyſteriae Cauſa illos uſque fefellit, et ne noſtro quidem ſeculo innotuit.

Quamplurima quoque corpora inciſa, hoc nempe morbo tentata atque abſumpta, nihil luminis attulerunt.

Alias profecto tumores haud parvi circa uterum, nec non magna continentium partium vitia deprehenſa ſunt ; alias vero non itidem. Atque etiam nemo neſcit, ea ipſa, ubi

ubi nulla unquam Hyſteria vexarit, oculis incidentium ſaepius obverſari.

Deinde, foeminae, hoc morbo conflictatae, partum facile concipiunt; quod quidem ipſum citra inciſorum ſigna, utique ſi reputetur vulvae conformatio, exquiſita omnino et ſingularis, ſatis erit argumenti, locos muliebres naturaliter integros ſeſe habere.

Quae cum ita ſint, eorum opinionibus acceſſerim, qui partes foeminarum genitales eatenus duntaxat Hyſteriam invitare, quatenus ipſae curſus per menſtruos, quod eſt, a pubertate ad annum uſque quinquageſimum, natura magis exſiſtant irritabiles, arbitrantur. Caeterum reliquum quoque corpus,

pus, pro consortio nimirum, similiter se habere necesse est.

PROGNOSIS.

De Hysteriae autem exitu certi quid praesagire difficillimum est; hinc curantes caverint, ne nimium parumve promittant.

Rarius quidem per se est mortifera; nunquam tamen leviter terrere debet, quippe quae saepius praeter spem in mala graviſſima ducat.

Quo citius invadit, eo facilius vincitur; quoque diutius infestat, eo fere aegrius tollitur.

Quanto

Quanto magis irritabilitas dominatur, tanto acceſſiones et crebriores ſunt, et vehementiores; ideoque ſalutis ſpes rata proportione minuitur.

Si malum ex familia haud derivatur; ſi aegra eſt animo hilari, neutiquam pertinax triſtiſve, tum curatio fit expeditior.

Denique, quo vehementius magiſve repente proclivitas ipſa fuerit excitata, eo plus periculi futurum eſt.

RATIO MEDENDI.

Suumcuique, alii aliud, attributum eſt corpus, cujus aliquot fortaſſe proprietates, utcunque per varios caſus modificatae at-

que inflexae, uſque tamen omnino mutari neſciunt. Hinc tot diverſae ad aegrotandum proclivitates, quarum nonnullae aliquatenus quidem cohiberi, ſed haud penitus tolli poſſunt.

Curatio autem Hyſteriae triplici modo recte tentatur.

Iſti certe primigeniae labi, unde nimia fiat irritabilitas, quoad ejus fieri poterit, ſuccurrendum eſt.

Omnia deinde laceſſentia circumcidi debent.

Poſtremo, quaecunque inter acceſſionem non moleſta ſunt ſolum, ſed periculum quoque,

quoque, ex diuturnitate nimirum, faceſſitura videntur, eadem leniri oportet.

Primo autem conſilio exercitatio, aër purus, frigida lavatio, vires quippe fibris praecipue muſculoſis datura; nec non cibus idoneus, ac Tonica, utpote quae ſtomachum et canalem, Inteſtinalis qui audit, ideoque, ex conſortio ſcilicet, corpus reliquum corroborent, maxime omnium conveniunt.

Nunc vero de exercitatione, ipſo quidem ſanitatis ſeminario, in hoc tranſcurſu tam arctati operis differere nihil neceſſe eſt.

Quod ad aëra attinet, verba illa, ita 'ſenſu tincta,' ut nihil poſſit ſupra repetere juvat. 'Aër nimirum purus et bonus et

'cibo

‘ cibo et potu, cum ſanis, tum maxime
‘ aegris, ſive acutis, ſive vetuſtis morbis
‘ laborantibus, magis neceſſarius eſt, et
‘ ſaepe omnibus medicamentis, et medici-
‘ na ipſa, praeſtantior’—‘ Aër enim purus
‘ venenatam illam mephitim, quam ſaniſ-
‘ ſimi etiam homines, et multo magis ae-
‘ gri, a pulmone et cute uſque exhalant,
‘ aufert, et per auras diffundit, donec
‘ tandem, depoſita vi ſua peſtifera, et ipſis
‘ et aliis innoxia fiat.’

Rationem profecto, qua frigida lavatio vel cuilibet morbo minuendo valeat, ſatis expedire etiam peritiſſimis difficile eſt ; iſtud igitur de hujus praeſidio adverſus hyſteriam conjecturae proponere non dedecet.

Ea

Ea anni tempeſtate, qua plerumque adhiberi ſolet, tantam corporis tamque celerem mutationem facit, ut ſingulae omnes cauſae, occaſionales quas vocant, ſua jam priſtina facultate ſpoliatae, innoxiae penitus evadant. Quod quidem omnino tantundem eſt, quaſi dicas, frigidam lavationem, tanquam alios ſtimulos, corpori humano admotos, ea lege contineri, qua neceſſe eſt, ut ſi quid effecti a poſterioribus erit praeſtandum, ut hi pares ſaltem prioribus forent. Hinc, verbi cauſa, id quod quotidie cernere eſt, pondus opii minus ſolito ingeſtum nihil omnino palam valet; contra vero ſolitum ipſum paulove majus aſſumptum ſuos proprios effectus plane exhibet.

Caeterum,

Caeterum, quomodocunque frigida lavatio ad hyſteriam faciat, ſatis tamen conſtat, eam uſu atque experientia, ut auxilium, ſi quid aliud, valentiſſimum, comprobatum fuiſſe.

Ratio quoque victus curioſe adhibeatur oportet.

Cibus autem is eſſe debet, in quo parcius etiam ſumpto multum alimenti ineſt; qualem ſcilicet aegra ipſa ſuo ſtomacho non alienum experitur; eundemque certis modo temporibus adhiberi expedit. Caenae lautiores ſunt vitandae, neque unquam ſtomachus mala copia proritandus eſt.

Potui fere gelida aqua, utpote nihil ventriculo ſalubrius, ſumenda eſt; quod ſi aegra

aegra liquoribus majorum virium antea utebatur, tum vinum plerumque dilutius, aut etiam, ſi vigor corporis atque animi elangueſcit, cyathos unum atque alterum meracioris Rubri poſt prandium ſorbere licebit.

Medicamentorum denique, Tonica quae appellantur, valentiſſima ſunt Amara, nec non compoſita ex ferro cuprove.

Omnibus quidem ex amaris, cortex Peruvianus facile primas tenet. Dari autem poteſt vel ſub pulveris forma, vel decoctus, vel infuſus. Pulvis vero, quem quidem ex vino rubro devoratum ſtomachus raro reſpuit, nunquam fere expectationem fruſtratur.

Radix

Radix quoque Gentianae, cortex foliaque Aurantii, flores Chamaemeli, Valeriana Sylveſtris, aliaque id genus, ut eodem valentia, in uſu quotidiano ſunt. Atqui cortex Peruvianus ſolus, quotieſcunque ſtomacho conveniat, inſtar omnium hujuſmodi auxiliorum erit.

Apud veteres quoſdam compluria ex ferro praeparata reperiuntur. D. Sydenham ſemper limaturam praecepit. Adeo plerique omnes medici, ſuo quiſque more, quem adamaverunt, remedia nonnulla adhibere volunt.

Caeterum potentius hujuſmodi auxilium forſitan ipſas ad aquas ferratas, eaſque celebriores, ſi quidem ibi inſuper exercitatio, aër,

aër, atque oblectamenta ſocialia conjurant amice, quaerendum erit.

Denique, de praeparatis ex cupro paulum, ſeu nil potius, comperti dicere habeo, ideoque ſilere melius eſt.

Jam deinceps ad alterius conſilii effectum, quo nempe excitantia vitentur, tranſeundum eſt.

In primis omnium eſt medici prudentis noſſe propria laborantis, iiſque ſaepe et miris et variis, ſemper pro occaſione data inſiſtere.

Tranquillitati omnino conſulatur oportet; ſubinde ad monenda periculi, quod ex aliqua animi perturbatione oriatur.

Nonnulli quidem, vi ſcilicet Sympathiae Imitatricis, unde multa tranſitione accidunt, animadverſa, arbitrantur, terrorem, iram, atque affectus tales vehementer commotas Hyſteriae aliiſque id genus auxilio fore. Quin etiam inſtant factum, et rogant, Quomodo D. Boerhaave epilepticos in valetudinaria Harlemenſi expedivit? Sit ita ſane. Verum tamen eſt hoc medicamen periculoſae plenum aleae, et enim vix quoquam in caſu aut nullo ad naturam dirigi, et prohiberi, quo minus foret infeſtiſſimum, queat.

Adverſus omnium autem ſic aegrotantium animos gerere ſe pro cujuſque natura neceſſarium eſt. Saepius tamen aſſentiendum, quam repugnandum eſt; molliter paŭlatimque, et non evidenter, ab his, quae

quae ſtulte petuntur, ad meliora mentes earum abducendae ſunt.

Denique, permagni intereſt, ut naturales actiones bene procedant; hae enim ipſae inordinatae nimium ſaepe occaſionem Hyſteriae aperiunt.

Nunc demum ad tertiam curationis partem perventum eſt, qua nempe, quaecunque inter acceſſionem non moleſta ſunt ſolum, ſed periculum quoque, ex diuturnitate nimirum faceſſitura videntur, eadem leniantur.

Omnia fere medicamenta, quae ſpaſmos inhibent, alias aliud, feliciter plerumque inter acceſſionem adhibita fuerunt. Convenit hic valentiſſima, quod equidem ſciam,

am, memorare. Ejuſmodi ſunt Æther Vitriolicus, Aſſa Faetida, Moſchus, Camphora, Opium, Electricitas, et Calida Lavatio.

De opio autem iſtud tantummodo in praeſentia dixiſſe ſufficiet: Poteſt quidem fieri, ut aliquando ad illud, ſi caetera nempe ad vehementem acceſſionem parum profecerint, demum confugere neceſſe ſit; idem tamen certe, quippe quod ingeſtum irritabilitatem nauſeamque adauget, curatione nunc uſitata alienum eſſe videatur.

Nec minus deliberari poteſt, an ſanguis mitti debeat; equidem affirmare nullus dubito, teſtis quippe oculatus, acceſſionem ſemel hoc modo protinus ſinitam fuiſſe. At vero ſimul dubitari neutiquam poteſt, quin quo ſaepius ſanguis mittitur, eo magis

gis plenitudo, fons iſte largus irritabilitatis, adaugetur. Verum tamen quae ſi erit quiſpiam, Annon medicamenta hujuſmodi, quae quidem ex ſua ipſorum natura ſtimulant, fierent aliquantulo tutiora, ſi tenſio, ideoque actio, vaſorum ſanguinem vehentium, hoc nimirum prius detracto, imminuta fuerint?

Spaſmi profecto inteſtinorum, aliarumque partium, quae muſculoſae ſunt, ſimul cum acceſſione ipſa, inferioribus nempe extremis in balneo calida aqua aliquamdiu fotis, diſcuſſa fuerunt. Cujus quidem effecti ratio ex conſortio, quod eſt reliquo corpori, inteſtinis praeſertim, praecipuae ſedi malorum, quae inter acceſſionem obverſantur, hiſce cum extremis, nec non ex

nota

nota relaxandi facultate, quae balneo ineſt, probabiliter reddi poteſt.

Si, acceſſione ſcilicet occupante, fauces anguſtae adeo iter coarctant, ut nihil devorari poſſit, proximum eſt, ut aliqua ex iis praeſertim, quae ſupra comprehenſa ſunt, in alvum ex inferioribus partibus infundantur.

Spaſmus interea faucium non negligendus eſt. Hic autem, Æthere Vitriolico, aut Liquore Volatili Cornu Cervi extrinſecus illito, aut ſcintillis Electricis in partem immiſſis, ſaepius ſolvitur.

Acceſſio frequenter in quandam animae defectionem deſinit. Ex hac vero aegrotans, acerrimo odore naribus admoto, vel gelida

gelida faciei aſperſa, vel eadem in os indita, brevi recreatur.

Quod ſi alvus, quae fere adſtrictior eſt, nondum ea cura, qua par erat, fuerit animadverſa, certe ut ea confeſtim leniter ducatur oportet.

Ad ſummam, cum nihil omnino, id quod ſatis conſtat, acceſſionem arcere aeque valeat, ac fortis animus, aegrae utique inculcandum eſt, ut ipſa ſua pro parte, quod eſt, quam obſtinatiſſime, contra obnitatur.

FINIS.